

Ad 3, dicendum, quod sicut supra dictum est (quæst. 66, art. 3 et 5) integritas baptismi consistit in forma verborum, et in usu materiæ. Et ideo neque ille, qui tantum verba profert, baptizat, neque ille, qui immergit. Et ideo si unus verba proferat, et alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens; neque enim poterit dici: Ego te baptizo (cum ipse non immergat, et per consequens non baptizet); neque etiam poterit dici: Nos te baptizamus, cum neuter baptizet. Si enim duo sint, quorum unus partem libri scribat, et alius aliam, non erit propria locutio: Nos scripsimus librum istum, sed synecdochica, in quantum totum ponitur pro parte.

## DISPUTATIO XXIII.

## DE MINISTRO SEU CAUSA EFFICIENTE SACRAMENTUM BAPTISMI.

In hac disputatione solum est dicendum de causa proxime ministrante hoc sacramentum, nam de causa principali, quæ est Deus, et de instrumento illi conjuncto et universali, quod est Christi humanitas, nihil speciale hic dicendum occurrit. De causa vero instituyente hoc sacramentum, superius in principio hujus tractatus dictum est. Rursus de causa ministeriali supponenda sunt omnia, quæ in superioribus de ministris sacramentorum in genere dicta sunt, nimirum de intentione, bonitate aut fide ejus, et alia similia, quæ hic in particulari traduntur a Theologis in 4, dist. 6; nos vero solum addemus ea, quæ aliquo modo fuerint propria et specialia hujus sacramenti.

## SECTIO I.

Quis sit minister simpliciter necessarius sacramenti baptismi, ut factum teneat.

1. *Calvini hæresis.* — Primum refertur nova hæresis Calvini asserentis, neminem posse hoc sacramentum ministrare, etiam in casu extremæ necessitatis, nisi sit minister Ecclesiæ ad hoc institutus, et ordinatus. Ita refert Feuard., in addit. ad Castr., verb. Baptismus, hæres. 6; Bellarm., lib. 4 de hoc sacram., cap. 7, qui dicit, hunc hæreticum non satis explicasse, an hujusmodi minister sit necessarius, ut sacramentum teneat, an vero solum, ut licite ministretur. Mirum est autem, quomodo hic hæreticus in hunc errorem potuerit incidere, cum ipse nec veros

Episcopos, vel sacerdotes, nec veram eorum ordinationem agnoscat, sed solam extrinsecam deputationem ex populi, vel magistratum consensu ad verbum Dei prædicandum, et si quæ sunt alia ministeria peragenda. Adducit autem Calvinus, in confirmationem sui erroris, verba Christi, Matt. ult.: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Nam ibi ad solos Apostolos, et in eis ad eorum successores Episcopos loquitur.

2. *Sententia asserens ministrum necessario debere esse baptizatum.* — Probat hæc sententia. — Secunda sententia hic referri potest, affirmans, de necessitate hujus sacramenti esse, ut minister ejus baptizatus sit. Hujus sententiæ videtur fuisse Greg. II, in ep. ult. ad Bonif. Et habetur in cap. Quos a paganis, de Consec., dist. 4. Nam ibi præcipit iterum baptizari eos, quos a paganis constiterit esse baptizatos; pagani enim proprie dicuntur, qui baptizati non sunt. August. etiam, 2 lib. contra Epis. Parmen., cap. 13, et lib. 7 de Bapt., cap. 53, hanc quæstionem attingens, eam definire non audet, sine auctoritate, inquit, *tanti concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Et conjectura adhiberi potest, tum quia non baptizatus nullo modo est Ecclesiæ membrum; ergo nec potest esse minister sacramentorum Ecclesiæ; tum etiam quia qui non est consecratus, non videtur aptum instrumentum ad consecrandum alios, sicut nullus consecrat Episcopum, qui non sit Episcopus, neque ordinat sacerdotes, qui non sit sacerdos; ergo neque baptizare potest, qui non est baptizatus. Unde Hieron., Dial. contra Lucifer., parum ante med., cum dixisset, laicum baptizare posse, subdit: *Ut enim accepit quis, ita et dare potest.* Et similiter Tertul., lib. de Bapt., c. 17, de eadem retractans, inquit: *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest;* ergo eadem ratione, quod acceptum non est, dari non potest. Atque propter hanc causam videtur dixisse Conc. Eliber., c. 38, et eum, qui suum baptismum integrum habet, posse in necessitate baptizare.

3. *Alia opinio, ut sit vir, non femina.* — Tertio opinari quis posset, non quamlibet personam, etiam baptizatam, esse posse sufficientem ministrum baptismi, sed oportere esse virum, et non feminam. Nam de feminis dicit Concil. Carth. 4, can. 10: *Mulier baptizare non præsumat.* Et Clemens, lib. 3 Const., cap. 9, periculosum esse dicit, iniquum et impium, mulierem baptizare. Et in-

fra dicit, esse alienum a Christi ordinatione. *Alias, inquit, cum nos ad baptizandum misit, una nobiscum ad id, mulieres misisset, nunc autem id nusquam ordinavit, etc.* Unde Epiph., hæres. 42 et 79, in princ., et Tertul. lib. de Bapt., cap. 7, inter hæreses Marcionis ponunt, quod mulieres permetteret baptizare.

4. *Conclusio prima.* — Dicendum vero est primo, quemlibet hominem, qui loqui possit et lavare, posse esse sufficientem ministrum baptismi, sive sit vir, sive femina, fidelis vel infidelis, baptizatus vel non baptizatus, dummodo sciat lavare, et verba proferre cum debita intentione. Hæc assertio est omnino certa, et in primis, quod in casu necessitatis, quando scilicet instat mortis periculum, et non adest sacerdos, vel diaconus, vel alius hujusmodi, quod (inquam) in eo casu quilibet possit ministrare baptismum, definitum est in Concil. Florent. in decreto Eugenii, ubi notanda sunt illa verba: *In casu necessitatis, non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest.* Atque idem ex parte colligitur ex Joan. Papa VIII, in cap. Ad lim., 30, quæst. 1, ubi solum dicit: *Laicis fidelibus juxta canonicam auctoritatem, si necesse fuerit, opus baptizandi libere conceditur.* Et similia referuntur ex August., in cap. In necessitate, de Cons., dist. 4, ubi dicitur, laicos in necessitate solere dare baptismum, quem acceperunt. Atque idem refertur ibid., in cap. Constat, ex Isid., lib. 2 de Officiis, cap. 24, ubi solum loquitur de laicis fidelibus; in cap. vero Super quibus, 30, q. 3, Urban. P. declarat idem esse de feminis. Atque de paganis, seu non baptizatis, declaratum est aliis Ecclesiasticis decretis, quæ statim citabimus; et ex ipso usu Ecclesiæ idem colligi potest; ut enim adnotavit Ambrosius, ad Ephes. 4, in primitiva Ecclesia solebant Apostoli fratribus non ordinatis committere baptismi ministerium, quando ipsi non poterant per se illud exercere, ut ex Actor. 2, 9 et 10, elici potest; imo ipsi Apostoli, Christo vivente, baptizabant antequam essent ordinati, ut in superioribus ostensum est; ergo ordinatio ministri non est de necessitate hujus sacramenti; ergo nec fides, ut supra de sacramentis in genere dictum est; ergo nec baptismus, nec sexus, est enim eadem ratio. Ex his ergo, et ex traditione Ecclesiæ, nobis constat hanc fuisse Christi voluntatem et institutionem, a qua totum hoc potissimum pendet.

5. *Confirmatur.* — Congruentia vero est, quia baptismus est sacramentum maximæ necessitatis, respectu omnium hominum; ergo expediens fuit, ut illius administratio omnibus concederetur, præsertim necessitate urgente. Et confirmatur, nam propter hanc causam institutus est in materia communi, quæ ubique facile reperitur, et in simplicissima actione, ac verbis; ergo eadem ratione fuit conveniens, necessarium ministrum hujus sacramenti esse valde communem, atque adeo ministerium hoc cuilibet concedi.

6. *Objectio.* — *Solutio.* — *Baptismus extra necessitatem a quovis collatus est validus.* — At vero dicit aliquis, his testimoniis ac rationibus ad summum probari, in casu necessitatis, quemlibet esse posse ministrum hujus sacramenti; non vero, quod extra casum necessitatis id fieri possit, ita ut factum teneat; neque enim unum ex altero recte potest inferri, sicut patet a simili, ex sacramento pœnitentiæ; quilibet enim sacerdos simplex, si non adsit proprius, potest ministrare illud sacramentum, etiam in materia necessaria seu peccati mortalis, et tamen si extra necessitatem illam, sacramentum illud ministrare tentet, non solum male faciet, sed etiam nihil efficiet; ergo minister, qui in casu necessitatis sufficit ad ministrandum sacramentum, non sufficit extra illum, etiam ut sacramentum collatum teneat; ergo idem esse poterit de baptismo. Respondetur, quidquid sit de illatione, seu de consecutione (quæ revera non est formalis; potuisset enim Christus, potestatem hanc cum prædicta limitatione, solum pro articulo necessitatis concedere), nihilominus talem certum esse in præsentia materia, hanc potestatem talem esse, ut si quis illa utatur extra necessitatis articulum, etiamsi male faciat, ut infra dicemus, nihilominus factum teneat, ut hic docet D. Thom., art. 3, ad 1. Et est sententia August., lib. 2 contra Epist. Parmeniani, c. 43, dicentis: *Sed etsi nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicitè datum.* Quæ quidem verba, ut ex his, quæ inferius subjungit, constat, potissimum ab ipso intelliguntur de fidei laico baptizante; sed est eadem ratio de infideli vel pagano, si semel admittamus, eum posse in necessitate baptizare. Unde Nicolaus Papa, in cap. A quodam Judæo, de Consec., dist. 4, definit, verum esse baptismum datum a Judæo sub debita forma, et nihil distinguit, an baptiza-

ret ille Judæus in casu necessitatis, necne, sed generaliter docet, baptizatos ab illo non esse iterum baptizandos. Et similiter in cap. Romanus, eadem distinct., generaliter et sine ulla limitatione sic dicitur: *Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, etiam si paganus sit, qui baptizat; et ideo in Decreto Gregoriano, circa capitulum Si quis per ignorantiam, recte corriguntur seu explicantur verba illius textus, quæ sic habent: Si quis per ignorantiam ordinatur, antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari.* Quæ verba ex Isidoro ibi referuntur, sed non sunt legenda affirmative, ita ut ea sententia ab ipso asseratur; sed relative, id est quod tanquam falsa aliorum opinio referatur. Eam enim statim corrigens Isidorus subdit: *Sed Romanus Pontifex, non hominem judicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit, qui baptizat.* Quod iudicium sedis Apostolicæ ex Gregor. et Sergio Pontificibus ibidem refertur, ex lib. 5 Capitularium, cap. 4. Et hoc etiam confirmat historia illa supra citata de Athanasio, qui cum puer esset, baptismum ministravit absque ulla necessitate, et tamen baptismus iudicatus est validus. Ex quibus colligitur, juxta communem sensum et traditionem Ecclesiæ, ita fuisse intellectam Christi institutionem, a qua, ut sæpe dixi, hæc omnia pendent.

7. *Baptismus magis necessarius est quam pœnitentia.* — *Pœnitentiæ sacramentum iterari potest, baptismus non item.* — *Potestas absolventi est jurisdictionis, potestas vero baptizandi est absoluta.* — Congruentia vero adjungi potest, respondendo simul ad objectionem factam, ex differentia inter baptismum, et pœnitentiam. Nam in primis baptismus est sacramentum majoris necessitatis, quam pœnitentia, non solum in ordine ad ultimam salutem, sed etiam in ordine ad effectus seu fructus divinæ gratiæ in hac vita comparandos, quatenus baptismus est janua Ecclesiæ et veluti primum fundamentum, per quod fit homo capax aliorum sacramentorum, et influxus gratiæ ex opere operatò; et ideo in sacramento pœnitentiæ non potest esse minister quilibet homo in necessitate, sed solus sacerdos, atque ille non in quacumque necessitate, sed in extrema tantum, si materia confessionis sit mortale peccatum. At vero in baptismo non semper necesse est extremam necessitatem expectari, nam etiam extra

illam propter magnam utilitatem, aut ne cogatur quis multo tempore baptismum differre, potest illum a laico, vel alio simili ministro recipere. Et ideo fuit conveniens, hanc potestatem concedi absolute et non limitatam ad casum necessitatis, saltem quoad hoc, ut sacramentum factum teneat, ne fortasse posset sacramentum in dubium revocari, occasione necessitatis, si fortasse minor existimari posset, quam sufficeret ad valorem sacramenti. Atque hinc sumitur secunda differentia, nam sacramentum baptismi iterari non potest, sacramentum autem pœnitentiæ potest iterari, tum circa eandem, tum etiam circa diversam materiam: unde fit, ut in sacramento pœnitentiæ nihil sit periculi, si contingat sacramentum datum in necessitate a simplici sacerdote non esse validum, quia fortasse non tanta erat necessitas, quantam esse oportebat ad habendam jurisdictionem in tali articulo; quia tale sacramentum, ut dixi, potest facile iterari; quod si non iteretur circa eandem materiam, quia bona fide susceptum est, poterunt illa peccata, saltem per accidens, remitti per aliud simile sacramentum, ex alia materia confectum; at vero sacramentum baptismi, et iterari non potest, et alioqui maximum homini creatur periculum, si illo privetur; et ideo oportet, ut ea, quæ necessaria sunt ad illud conficiendum, sint omnino fixa et stabilia, ita ut certum sit, illis positis, sacramentum confici, sive adsit vera necessitas, sive non. Tertia differentia est, quia sacramentum pœnitentiæ pendet ex potestate jurisdictionis, quæ per extrinsecam deputationem ab hominibus datur, vel auferitur, vel limitatur ad casum necessitatis; at vero potestas baptizandi est absoluta facultas ministerialis, ad conficiendum tale sacramentum, quæ non solet limitari secundum substantiam, vel facultatem suam ad casum necessitatis, sed simpliciter confertur, sicut patet in omni alia potestate conficiendi sacramentum, quæ ex jurisdictione non pendet. Et confirmatur tandem, nam si intelligeremus, hanc potestatem dari per impressionem alicujus characteris dati a Christo ad deputandum homines ad hoc ministerium, hoc ipso intelligeremus, sacramentum collatum ab habente talem characterem esse validum, etiamsi ille male faceret, utendo illa potestate extra necessitatem vel alio modo indubito; ergo idem dicendum est, etiamsi intelligamus hanc potestatem esse datam a Christo per solam institutionem et extrinsecam de-

putationem, seu voluntatem suam, quæ ad hunc effectum æque sufficiens et efficax esse potest.

8. *Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur.* — Ad fundamentam ergo primæ sententiæ imprimis dicitur, in verbis illis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, etc., non esse datam potestatem baptizandi, quæ est necessaria ut sacramentum factum teneat; hanc enim multo antea habuerunt Apostoli, qui vivente Christo baptizabant; unde verissime creditur hæc potestas data hominibus ab eo tempore, in quo sacramentum baptismi institutum est, nam sicut tunc Christus vim regenerativam contulit aquis, non per impressionem alicujus qualitatis, sed per extrinsecam deputationem, et quasi sanctificationem quandam, ita etiam ex tunc deputavit quemcumque hominem, non per impressionem characteris, sed per voluntatem suam, ut possit esse minister sufficiens hujus sacramenti, quamvis non omnibus dederit jus illud administrandi, ut postea dicemus. In prædicto ergo loco dedit Christus Apostolis, et eorum successoribus, præceptum exercendi hoc munus, et speciale jus ministrandi hoc sacramentum ex officio. Deinde, quamvis concederemus, in illo loco esse datam potestatem baptizandi, non sequitur datam esse solis Apostolis, vel Episcopis, seu sacerdotibus, quia tunc Christus loqui potuit ad Apostolos et discipulos, ut repræsentabant universam Ecclesiam; atque ita recte intelligitur dedisse hanc potestatem cuilibet, qui ut minister hujus Ecclesiæ hoc ministerium exercere vellet.*

9. *Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur.* — *Ad Augustinum respondetur.* — *Ad conjecturam respondetur.* — Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur imprimis, Gregorium cum rebaptizari præcipit eos, qui a paganis baptizati fuerant, loqui (ut ita dicam) formaliter de paganis, ut pagani sunt, id est, de his qui in baptizando non servabant ritum Ecclesiæ, sed paganorum; atque ita explicuit Glossa in d. c. Quos a paganis, ita interpretans verba textus: *Si ita habetur, id est, quod in forma Ecclesiæ non fuerint baptizati.* Quæ expositio potest colligi ex verbis sequentibus: *Ut denuo baptizet in nomine Trinitatis.* Supponit ergo priorem baptismum non fuisse datum in nomine. Ad Augustinum respondetur, suo tempore potuisse dubitari, quia nondum erat res ita ab Ecclesia declarata, sicut nunc est. Ad

rationem seu conjecturam respondetur, ad priorem partem, Christum Dominum sæpe uti, ut instrumento, membro separato ac præciso ab Ecclesia, vel nondum illi actu conjuncto, quia virtus Christi non pendet ex dispositione instrumenti, neque illius virtute nititur. Ad alteram partem respondetur, optime probare, per se non decere, hominem non baptizatum aut infidelem baptizare; non probare tamen, si id fiat, non recte fieri, ita ut factum teneat, aut etiam, ut convenienter fiat, si necessitas urgeat; neque in hoc est par ratio de baptismo, et Ordine, cum non sit utriusque necessitas; et ita sunt intelligenda loca Hieronymi, Tertulliani, et Concilii Eliberitini ibi citata; non enim asserunt illam rationem tanquam adæquatam; neque requirunt illam conditionem tanquam simpliciter necessariam, sed solum ut magis convenientem, si fieri potest. Imo prædicti Patres solum affirmant, eos, qui baptismum acceperunt, sicut acceperunt, ita posse illum dare; non tamen addunt exclusivam; neque dicunt hanc esse propriam vel necessariam rationem dandi. Neque vero est inconveniens, ut aliquis dare possit quod non accepit, præsertim quando id non facit, ut causa præcipua, sed solum ut instrumentum alterius.

10. *Ad tertiam opinionem.* — Ad tertiam opinionem respondetur, etiam fœminas in casu necessitatis posse baptizare, ut ex probationibus superius adductis satis constat. Patres vero, ibi citati, intelligendi sunt de jure, seu potestate licite baptizandi, vel solemniter, vel per se, et extra casum necessitatis.

## SECTIO II.

Quis habeat jus administrandi hoc sacramentum, tanquam minister ex officio ad hoc deputatus.

1. *Titulus explicatur.* — Hæc quæstio remitti posset ad disputationem moralem infra tractandam; tamen, quia conjuncta est cum præcedenti, facilius hoc loco expedietur. Est igitur in primis animadvertendum ex dictis supra de sacramentis in genere, præter potestatem conficiendi sacramentum, quæ necessaria est ut factum teneat, necessarium esse jus administrandi illud, ut licite fiat; hoc autem jus in præsentia materia dupliciter explicari potest: uno modo in ordine ad ipsum sacramentum; alio modo in ordine ad personam baptizandam. Et quidem de hoc posteriori modo nihil speciale addendum occurrit

his, quæ in genere de sacramentis dicta sunt. Cum enim administratio sacramenti sit proprium munus pastoris, et requirat jurisdictionem administrantis in eum cui administratur, vel facultatem ejus qui jurisdictionem habet, multo majori ratione hoc requiritur in hoc sacramento, quod est janua omnium sacramentorum, et regeneratio spiritualis hominum in Christo. Quæstio ergo præsens potissimum tractatur in priori sensu, scilicet ex parte ipsius sacramenti; nam licet dictum sit, omnibus hominibus absolute loquendo datam esse potestatem ad hoc sacramentum perficiendum ratione necessitatis, tamen non omnibus data est absoluta facultas seu licentia illud administrandi, quocumque modo et extra necessitatem, neque omnes sunt divino jure destinati, ut tanquam ministri ex officio hoc munus possint præstare; et hoc vocamus in præsentem jus administrandi sacramentum, quod est veluti capacitas proxima per se requisita ad tale ministerium. Ut autem breviter respondeamus, possunt breviter distingui quatuor personarum ordines, scilicet Episcopus, presbyter, diaconus, et quilibet alius diacono inferior.

2. *Conclusio prima.* — Primo ergo certum est, Episcopum jure suo et ex vi suæ ordinationis, esse aptissimum ministrum hujus sacramenti. Hoc per se notum est, et a fortiori constabit ex dicendis.

3. *Conclusio secunda.* — *Ratio.* — *Confirmatur.* — *Objectio.* — Secundo est certum, sacerdotem ex vi suæ consecrationis esse posse ordinarium ministrum hujus sacramenti, ut hic docet D. Thom., art. 1 et 2, et ex usu Ecclesiæ satis constat, et ex Clemente Romano, Ignatio, Epiph., Isidoro et aliis, quos statim referemus. Denique Concil. Florent. hoc sensu dixit: *Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Ratio vero est optima, quam hic attigit D. Thom., quia sacerdos habet potestatem in corpus Christi verum; ergo consequenter recipit potestatem in corpus Christi mysticum, saltem quæ necessaria est ex vi consecrationis, quæ alias dici solet potestas ordinis, et respectu illorum sacramentorum, quæ communia sunt populo Christiano, et ad remissionem peccatorum, et communem ejus profectum ordinantur. Quod addo propter sacramentum confirmationis, quod propter specialem rationem solis Episcopis ordinarie reservatur. Unde sumitur confirmatio. Nam sacerdos est ordinarius minister sacramenti

Eucharistiæ, quod ad incrementum spiritualis vitæ institutum est. Habet etiam potestatem ordinis ad sacramentum poenitentiae necessariam, quod est ad reparandam spiritualem vitam. Ergo multo magis illam habebit ad baptismum administrandum, per quod datur spiritualis vita. Denique sacerdos est in statu et ordine constitutus, in quo esse potest ordinarius pastor animarum; ergo necesse est, ut ex vi suæ consecrationis aptus sit ad regenerandos homines in Christo. Sed contra: nam presbyter non potest baptismum ministrare, nisi facultate sibi ab Episcopo concessa; ergo non proprio jure suo potest hoc ministerium usurpare. Antecedens patet ex Hieronym. contra Luciferian., et Tertull., lib. de Baptism., dicentibus, jus baptizandi esse penes Episcopum, communicari autem presbytero, et diacono, non nisi ex facultate Episcopi propter honorem Ecclesiæ; ubi nihil amplius videntur tribuere sacerdoti, quam diacono; qui tamen non habet proprium jus baptizandi, ut statim dicemus. Et confirmatur, nam per baptismum recipiuntur homines in Ecclesiam, et fiunt membra ejus; decet autem, ut potestas et jus admittendi homines ad Ecclesiam sit penes principes et supremos pastores Ecclesiæ, ut sunt Episcopi; et hoc saltem videtur probari illis verbis Christi: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc. Nam ibi locutus est ad undecim Apostolos, ut Matth. dicit, quorum successores sunt Episcopi.

4. *Respondetur.* — *Alia potestas ordinis, alia jurisdictionis.* — Respondetur, distinguendam esse (ut dixi) potestatem ordinis respectu sacramenti, et potestatem jurisdictionis, respectu ejus, cui dandum est sacramentum. Sacerdos ergo ex vi suæ ordinationis habet sufficientem potestatem, ut valide et digne ministret hoc sacramentum, et quoad hoc non pendet ab Episcopo, nec indiget concessionem ejus, et in hoc superat diaconum, ut jam dicemus. At vero ultra hanc potestatem requirit jurisdictionem in personam, ut licite ille ministret hoc sacramentum; et quoad hanc, pendet ab Episcopo, tanquam a superiori pastore, in quo est aliqua similitudo inter diaconum et sacerdotem; et de hac intelligendi sunt prædicti Patres; et hæc etiam sufficit ad convenientem ordinem et debitum Ecclesiæ regimen. Denique facile concedi potest, hoc esse consentaneum prædictis verbis Christi, quamvis, ut dixi, non satis constet, hunc esse sensum illius loci, quia

neque constat, Christum locutum esse de potestate jurisdictionis, sed de præcepto utendi baptisate; neque etiam constat locutum esse ad solos Apostolos, quia licet Matthæus tantum undecim Apostolorum mentionem faciat, tamen non excludit discipulos alios. Est autem probabile, ut in superiori tomo diximus, agentes de resurrectione Christi, apparitionem illam coram aliis multis discipulis factam esse.

5. *Conclusio tertia.* — Tertio dicendum est, diaconum per se ac jure divino ordinario non posse administrare hoc sacramentum ex vi suæ ordinationis; esse tamen capacem hujus ministerii ex concessionem seu delegationem Episcopi aut sacerdotis. Utraque pars est certa, et prior quidem satis colligitur ex definitione Concilii Florentini. Nam dicens, *presbyterum esse ordinarium ministrum, cui ex officio competit baptizare,* satis significat, nulli inferiori ministro hoc convenire. Atque idem docet Clemens Romanus, lib. 3 Const., cap. 44, dicens: *Sed neque reliquos clericos baptizare permittimus, sed solos Episcopos, et presbyteros, ministrantibus illis diaconis;* et lib. 8, cap. 52: *Nam nec diacono fas est (inquit) offerre sacrificium, vel baptizare.* Idem docet Ignatius, epist. 43, ad Heronem diaconum, et Gelasius Papa, epist. 4, cap. 9, et habetur in cap. Diacon., 93 dist., et Isidorus, lib. 2 de Officiis, cap. 24, et habetur in cap. Constat., de Consecr., dist. 4. Idem Epiph., hæres. 79.

6. *Ratio.* — Ratio vero est, quam hic D. Thom., art. 2, indicat, quia ordinaria potestas ordinis supra corpus Christi mysticum manat ex potestate supra corpus Christi verum; et art. 4, ex ipso nomine diaconi hoc colligit, quia diaconus ad hoc ordinatur, ut Episcopo, et sacerdoti deserviat, seu ministret in sacramentorum dispensatione; non ergo constituitur tanquam ordinarius minister alicujus sacramenti. Denique per baptismum remittuntur peccata et congregantur homines intra Christi Ecclesiam; ergo per se pertinet hoc munus solum ad eos, qui possunt esse Ecclesiæ pastores; hujusmodi autem sunt sacerdotes, et non diaconi.

7. *Objectio.* — *Diluitur.* — Sed contra. Nam in Pontificali Romano in ordinatione diaconi dicitur, diaconum debere baptizare, et prædicare. Respondetur, hinc probari alteram partem conclusionis positam. Quamvis enim diaconus ex vi suæ ordinationis per se non constituatur ordinarius minister hujus

sacramenti, fit tamen aptus, ut ei possit hoc ministerium delegari ab Episcopo, vel presbytero, ut magis in sequenti conclusione declarabitur.

8. *Conclusio quarta.* — Quarto igitur dicendum est, nullum hominem diacono inferiorem habere aliquod jus, seu capacitatem proximam ad digne ministrandum hoc sacramentum, nec jure ordinario, neque ex delegationem Episcopi, vel sacerdotis. Hæc etiam assertio est D. Thom., et communis omnium, cum August., lib. 2 cont. Parmen., cap. 43. Et probatur sufficienter ex dictis, nam ostensum est ordinarium jus baptizandi ad Episcopos vel presbyteros pertinere, et non extendi ad diaconos; multo ergo minus spectabit ad inferiores. Rursus, potestas ad hoc ministerium ex delegationem peragendum specialiter datur diacono ratione suæ ordinationis; ergo non convenit cæteris, qui tali ordine carent.

9. *Difficultas.* — Sed est difficultas in explicanda differentia, quæ in hoc est inter diaconum et inferiores; videtur enim esse nulla, respective et cum proportione loquendo; ut enim fateamur, diaconum in hoc cæteros superare, quod in absentia sacerdotis ipse præferendus est reliquis in hoc ministerio, quia est sacratior minister, tamen hoc modo etiam subdiaconus respectu inferiorum potest dici minister hujus sacramenti, quia in absentia diaconi et superiorum præferendus est omnibus inferioribus, quia est sacratior illis. Rursus si loquamur extra casum necessitatis, vel quando est copia sacerdotis, sicut inferiores non possunt ministrare, nec jure ordinario, neque ex delegationem sacerdotis, ita neque diaconus, quia non potest ei committi hoc ministerium, sine urgente necessitate. Quæ est ergo differentia?

10. *Solvitur.* — *Duplex discrimen inter diaconum et inferiores.* — Respondetur, duplicem esse differentiam: una est absoluta in ordine ad solemnem baptismi administrationem. Nam hæc ex rationabili causa committi potest diacono in casu necessitatis; imo si necessitas urgeat, et sacerdos sit absens, potest ipse jure suo ministerium usurpare, ut docet Gloss. in cap. Diaconos, verbo Necessitas, 93 dist. At vero inferioribus non potest committi propter ullam necessitatem, sed ea urgente, possunt tantum privatim baptizare. Quæ differentia colligitur ex citatis Decretis, et ex his quæ adduximus